

351^c
ANDREAE OTTOMARI GOELICKE *P.*
MED. DOCT. ET PROF. PUBL.

EPISTOLA GRATULATORIA

Qua demonstratur:

SAPIENTISSIMAM FUISSE LEGEM A-
theniensium, qua solemniter sanciverunt, ne quae foe-
mina (Servus) medicinam disceret.

AD

VIRUM JUVENEM

JOH. GEORGIUM
WEBERUM

CANDIDATUM MEDICINAE DIGNIS-
SIMUM ET

AUDITOREM SUUM PERDILECTUM,
CUM

SPECIMINE INAUGURALI EDITO,
DOCTORIS MEDICINAE GRADUM, JURA AT-
QUE IMMUNITATES CUM ADPLAUSU
PUBLICO IMPETRARET.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,

TYPIS JOHANNIS CHRISTIANI ZAHNII, ACAD. ET SENAT. HALLENSIS
TYPOGRAPHI.

Antiqu. Graec.

288,43.

NOBILISSIMO EXPERTISSIMOQUE
VIRO - JUVENI

JOHANNI GEORGIO
WEBERO,

CANDIDATO MEDICINAE DIGNISSIMO,

S. P. D.

ANDREAS OTTOMAR GOELICKE,

Med. D. & P. P.



Vamvis magna & vix ullo nomine excusanda *Thessali Tralliani*, qui secundum *Plinii* testimonium sub *Neronis* principatu vixit, arrogantia temeritas & impudentia fuerit, quod universam artem medicam *sex mensium spatio* discipulos suos sese edoctorum audacter gloriatus vel sincerius rem eloquendo, mentitus fuerit: Nihilofecius tamen inficias eundem vel dissimulandum non est, quod, etiamsi scientiam latissime patentem tam arctis limitibus circumscribendam non existimemus, ingenii tamen felicitate, accedente indefessa industria & obstetricante non promiscua sed fideli atque perita institutione, brevi temporis spatio multum in arte salutari praestari possit. Tu sane, Nobilissime Domine Candidate, si quis ullus alius meorum Auditorum, exemplo Tuo egregie comprobasti, quod, etiamsi ingenio admodum felici polleas, & reliquis animi dotibus ad prosperos in arte salutari progressus faciendum non destituaris, imo potius ad eam exercendam totus natus esse videaris; Tanta tamen scientiae latissime patentis abyssus tam brevi temporis intervallo exhauriri sese non patiatur; Unde praeter *Wittebergensem* & *Jenensem*, celeber-

berrimas Saxoniae Academias, in quibus aliquamdiu commoratus es, etiam hanc nostram *Fridericianam* salutare è re Tua iudicasti, ut, quid apud nos gereretur, ipso facto experireris: Non absimilis ea in re apibus, naturali solertia ex variis floribus mel dulcissimum colligentibus & in favos suos transferentibus. Quid vero sub tanto Doctorum numero profeceris, alterius potius est eloqui: Ut enim hac vice panegyricum Tibi pangam, neque ingenua Tua patitur indoles, neque mea fert intentio. Id solummodo impraesentiarum bona Tua pace, ut faciam, concedes, ut, cum vitae Academicae renunciandi & ad praxin clinicam transcendendi animus Tibi sit, non solum de felicibus instituti tui successibus ex animo Tibi gratuler, verum etiam mature simul Te commonefaciam multarum molestiarum, incommodorum ac taediorum, quae Practicis quotidie animo generoso superanda ac si durius loqui liceat, veluti devoranda sunt; Quorum illud certe non postremum est, quod mulierculis quoque, quarum irae vel potius furori nemo unquam impune sese exposuerit, in artem sacratissimam temerario, nunquam tamen rebus sic stantibus facile coercendo, ausu involandi plena indulgeatur libertas, quae potius quantum in ipsis, calumniis & obtreptionibus medicorum famam proscindere ac denigrare, eorumque gloriam ac merita quocunque modo imminuere student. Pessima haec consuetudo usque adeo hodie invaluit, ut propemodum vim legis adquisiverit, cujus durissimo iugo colla sua submittere coguntur, quotquot per praxin fortunae suae consulere cupiunt. Quare prudentissimum mea sententia *Atheniensium* institutum fuit, quando solemni lege caverunt, ne, prout refert *Hyginus fabul. CCLXXIV.* ulla mulier vel foemina (servus) medicinam disceret (adderem ego) vel exerceret. Equidem historia medicinae locuples testis est, sexum sequiorem omnibus temporibus professioni medicae sese immiscuisse, sed similiter inde liquet, cordatiores medicos turpi huic abufui graviter semper ingemuisse, & ad coquinam vel colum easdem relegandas esse rectius existimasse, nunquam tamen notoriis talibus abufibus radicitus extirpandis salutarem adhibere medicinam cordi habuisse. Inter mulieres medicas, quae hoc nomine prima inter veteres inclaruit, celebratur **ISIS, OSIRIDIS,**

Aegyptiorum Regis Uxor & Soror, quae secundum *Diodori* testimonium inter Aegyptios artis medicae valde perita & diversa adinvenisse remedia credita fuit; Unde & in numerum Deorum relata & immortalitatem consequuta est. Videtur hanc laudem sibi metipsum tribuere in antiqua quadam inscriptione, quae characteribus sacris columnae insculpta antiquitus legebatur sequentem in modum: EGO SUM ISIS, Regina totius Terrae, per *Thoutum* instructa - - - Uxor & Soror Regis *Osiridis*: Ego prima homines agriculturam docui &c. Eandem quoque laudem medicinae exercitae adseribunt *Cleopatrae*, Aegyptiorum Reginae, mulieri formosissimae, cujus tamen conamina ultra Cosmeticen pro concilianda corpori venustate, cujus quippe studiosissima erat, vix extendere sese videtur. Inprimis vero artificium obstetricandi exercuisse mulieres Aegyptiacas, ipso sacrarum literarum testimonio haud obscure addiscimus. Sicuti autem medicina ab Aegyptiis transit ad Graecos: Ita similiter mulieres medicas jamtum apud Graecos fuisse certissimum est. Ex ipsa *Aesculapii* stirpe, quae prodierunt, filiae numerosissimae, omnes Medicae ac professionis paternae peritae fuerunt, sicuti ex ipsis earundem nominibus liquet. Sunt enim *Hygieia* & *Panacea*, per quas jurare cogebantur aequae ac per *Apollinem* ipsum tempore *Hippocratis* Medicinae Candidati, sacris artis initiandi. Item *Panacea*, *Jaso*, *Aceso*, *Aegle* & *Roma*, pleraeque in Divis numeratae & salutis Deae vocatae. Hoc inprimis titulo clara fuit *Hygieia*, sicuti antiquae Inscriptiones probant, quarum primam admodum memorabilem adfert *Janus Gruterus* Corp. Inscript. p. 67. n. 9,

AESCVLAPIO ET HYGIAE
CAETERISQUE DIIS DEABUSQUE.

Altera vero apud eundem legitur p. 68. n. 5. sequentibus verbis:

AESCVLAPIO ET HYGIAE
SERVATORIBUS.

Memoratu itidem digna est inscriptio Placentina apud eundem Gruterum p. 1067.

VA.

VALERIA SAMMONIA
VERCELLENSIS V. S. L. M.
MINERVAE MEDICAE
CABARDIAE.

Eodem quoque nomine celebres apud antiquos fuere *Medea* & *Circe*, aliaeque plures mulieres medicae, quae tamen artium imprimis magicarum peritae credebantur; Quapropter etiam cultum religiosum ipsis olim exhibitum fuisse legimus: *Medea* potissimum ad agilitatem corpori conciliandam & propulsandum varios morbos *bryonia* calida prima commendasse videtur; Unde etiam ad juventutem homines reducere credebatur. Neque minus varia corporis exercitia suadebat, quo artificio homines quam maxime effoeminatos reddidisse robustos & alacres putabatur, hoc solo crimine ab omnibus prope modum, qui ejusdem meminerunt, onerata, quod veneficii & magiae ream eandem fuisse existiment; Propterea quod Graecos quosdam ex hominibus in lupos, fues, leones &c. transmutasse dicatur: Quod tamen, qua ratione saniori sensu intelligendum sit, non solummodo abunde liquet ex *Colloquio inter Ulysssem, Circeam & Gryllum apud Plutarchum*, sed & adhuc manifestius ex ejusdem *Libr. Conjugal. Praeceptor.* p. 159. quae verba, ibi Graeca, hic prolixitatis vitandae gratia, latine reddita, digna sunt, quae integra adponantur; *Mulieres*, inquit Plutarchus, *quae amoris poculis & veneficiis viros captant, voluptateque in suam potestatem redigunt, stupidos eos, vaecordes corruptosque deinde vitae socios habent. Nam Circae quidem nihil profuerunt ii, quos veneficio mutaverat, neque ullam ad rem iis usa est, cum in canes & asinos degenerassent: Ulysssem autem prudentem virum, prudenterque secum versantem supra modum dilexit. Quae vero malunt fatuis imperare viris, quam obtemperare prudentibus, eorum sunt similes, qui in via coecos ducere malunt, quam videntes & itineris peritos sequi. Ex quibus sane, cujus indolis fuerit ejusdem magia, abunde constat. Ejusdem vitii in simulatur *Circe*, quae herbarum quarundam notitia, praecipue*

cipue contra venena vim suam exerentium inclaruisse putatur; Quare etiam herbae, quam *Circaeam* communiter appellant, nomen suum dedisse creditur. Inter *mulieres* quoque *Graecas* silentio praetereunda non est *Agnodice*, quae, posteaquam habitu virili induta, demtis capillis, *Herophilo* in disciplinam sese tradiderat, artemque medicam didicerat, a medicis postmodum in Areopago accusata, & damnationis periculum subitura, matronarum tandem ad cursu liberata fuit, quarum haec ad iudices vox erat: *vis conjuges non estis, quia, quae salutem nobis invenit, damnatis*; adfuerat enim laborantibus in partu, quarum intempestivus pudor viros medicos arcebat: Qua pudibunda passione adhuc hodie mulierculas nostras laborare videmus, ut saepius mortem, quam manum medicam vel chirurgicam in difficultate partus vel simili alio casu admittere malint. Denique quemadmodum Medicinam a *Graecis* ad *Romanos* translata esse novimus: ita similem in modum apud *Romanos* quoque medicas fuisse mulieres, dubitandum non est: Hujus enim rei testes sunt antiquae quaedam Inscriptiones, qualis apud *Pignorium tract. de servis p. 77.* legitur:

SECUNDA
LIVILLAES,
MEDICA.

Item *Veronensis* sequentis tenoris:

C. CORNELIUS
MELIBOEUS ELIDI
ET ENTIAE ELIDI
MEDICAE
CONTUBERNALI.

Multarum aliarum mulierum tanquam medicarum, ut *Latonae, Angitiae, Polydamnae, Agamedae, Perimedae, Epionis* &c. mentionem in monumentis antiquorum passim injici videmus, quarum nomina & historiam breviter exposuit *Monsieur le Clerq hist. de la Med. part. second. Liv. III. Cap. XIII.*
Eaf.

Easdem tamen omnes sola tantum Gynaecia curasse & Mulierum passionibus medelam adhibuisse, summe nobis probabile videtur.

Si itaque ex his abunde pateat, sexum sequiorem jam antiquissimis temporibus in artem medicam involasse, quis patietur sibi persuaderi, easdem hodie in tanta, qua fruuntur, licentia, concessuras, ut ab eadem penitus excludantur. Interim firma adhuc manet sententia, sapientissimum fuisse *Athenensium* consilium, quo mulieres ab omni medica praxi solenniter arcere omni modo fuerunt adnisi. Dignitas enim & praestantia medicorum ipsiusque artis vix patitur, ut mulieres ad colum & culinam natas in consortium suum adsciscant, quippe quod toti medentium ordini foret ignominiosum. Accedit, mulieres plerumque anserum instar garrulas esse, & nulla tamen virtus magis decet Practicum artis quam taciturnitas: quare eandem merito a Candidatis medicinae, honoribus Doctoralibus exornandis in Juramento solemniter efflagitant Promotores: quia multorum affectuum ea est indoles, ut, si praeter necessitatem a medico garrulo propalentur, magnum aegrotanti hinc enasci queat praejudicium. Nec denique ea aut ingenii aut iudicii felicitate pollent mulieres, quae ad sacra huius artis penitus evolvenda requiritur. Et licet communiter objiciatur, obstetricia tamen munera, quamvis reliquum medicinae exercitium ipsis eripiatur aut interdicator, rectius ac tutius mulieribus, quam viris committi, obstat tamen laudabilis *Gallorum*, *Belgarum* ac *Helvetiorum* consuetudo, qui publico stipendio alunt juratos quosdam Chirurcos, mulieribus difficultate v. g. partus laborantibus suppetias ferentes, a qua consuetudine, omni tamen laude dignissima, nisi tanto opere abhorrerent nostratum mores, quis dubitat, fore, ut pleraeque illarum ex orci faucibus erepturi aut saltem a periculosis ac funestis symptomatibus praeservaturi sint talium operationum periti Chirurghi.

Quamlibet autem haec omnia ita sese habeant, nulli tamen Juniorum Practicorum suaserim vel auctor extiterim, ut
iras

iras talium medicastrarum, in quibus saepe plus fiduciae, quam in medico ipso collocant aegrotantes, temere & intempestive provocet; quin consultum potius fuerit, earum genio nonnunquam indulgere, earundemque favorem quocunque modo, honesto tamen, demereri. Tu quoque, Nobilissime Domine Candidate, hanc qualemcunque regulam noli negligere aut despiciatui habere, sed vt mulieribus medicis, quae ad latera tua sese olim in praxi certo certius adfociabunt, non displiceas, omni studio enitere: Prudentis enim medici est, intervire tempori, cedere nonnunquam debiliori, loqui cum mulierculis interdum, ut proverbio dicunt, de lana caprina, & interea sentire cum doctioribus. Id si feceris, amplissimam brevi tempore praxin tibi comparabis, cui, ut DEUS T. O. M. ex alto semper benedicat, est, quod animitus opto, qui me favori ac amicitiae Tuae in perpetuum commendo. Dabam Hal, Magdeb, die 12. Aprilis 1713.



Antiqu. Graec.